



Disputatio medica inauguralis de pica

<https://hdl.handle.net/1874/340685>

10

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
P I C A,

Q V A M
PRÆSIDE TRI-UNO DEO
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Inclita Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Nobilissime
Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA honoribus, & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis.

Publico examini subjicit

HENRICUS BETTEN, Embdā Frif. Orient.

Ad diem 13. Maii, loco horisque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Icc LXXXVII.

ARCHIATRO OPT. MAX.
P A T R I Ā,
CURATORIBUS,
U T E T
OMNIBUS SUIS FAUTORIBUS,

*Hasce Theses inaugurales animo
grato atque submisso*

Offert & inscribit

HENRICUS BETTEN,
AUCTOR.



DISPUTATIO MEDICA

IN AUGURALIS.

DE

P I C A.

THEISIS I.



Ateria elabaranda ventilationique publicæ submittenda , legibus Academiq; satisfaciendi causâ , PICA occurrit , quam impræsentiarum , pro temporis angustiâ , ingeniique tenuitate explicare fert animus . Si autem forte in hac explanatio- ne à Communi Medicorum opinione quodammodo decedamus , pace illorum id fieri volumus , cum nulla prorsus verba jurare : (pro libertate unicuique concessâ) nos cogat : Tu Deus tantum annue cœptis !

I I.

Omissis iis quæ de etymologiâ hujus affectus S. nominis quæ-
stione dici possent , rectâ ad rem ipsam , veluti majoris momen-
ti pergimus : ut autem in morbi nostri debitam cognitionem
perveniamus ejus brevem delineationem proponere placet , PI-

A 2

CAM

4 D I S P U T A T I O M E D I C A

C A M itaque in hunc modum describimus : *Quod sit appetitus ardens certorem alimentorum, aliquando etiam absurdorum, ut sunt venena, calx, fistula tabacæ, creta, teste, terra, arena, cespites, anguille viventes, pili, corium putridum, animalium stercore, crude hominum carnes, imò proprii marii &c.*

I I I.

Quæ verò causa specialis hujus phænomeni, & cui rei in corpore existenti sit adscribenda, an fermento ventriculi, & quomodo disposito, an peculiari texturæ ventriculi, aut nervorum, an vitio spirituum animalium, an verò soli menti, variæ ferruntur sententiae.

I V.

Sunt non nulli Medici, qui in P I C A appetitum decipi volunt à pravis & vitiosæ qualitatibus humoribus, qui ventriculi orificio impacti illum ad absurdâ talia stimulant; hinc attractâ per fætum in utro accrescentem hac amurcâ, MALACIAM confici putant, quæ gravidas secundo & tertio à conceptu mense juxta illos invadere solet, mira profectò unius fermenti efficacia! sed hanc colluviem huc usque vires suas extendere, sequentia non permittunt: temporis etiam definitos limites non adeo universales esse, apud ipsos observatores est in confessu.

V.

Alii hic excogitant, nescio quam, *Nature* sagacitatem, dicentes: *providam hancc matrem* deficientes in sanguine eligere particulas; si itaque acidæ vel falsæ desint appeti similia; si vero terrestres deficiant, lutosâ, arenosâ, aliaque desiderari. Sed parum cohærentis nexus ratio, hoc ut credamus, vetat. Alii ab utro, vel hemoroidum obstruktione, vel plane ab occultâ qualitate deducunt.

V I.

Nos, ut ex hoc labyrinto commodus pateat exitus, presupponimus: nihil lætitia menti esse gratius, sed quoniam à principio conjunctionis cum corpore, vix aliam quam per sensus accepit, summis viribus (nullâ ratione causarum & durationis ut plurimum habitâ) illi lætitiae velificatur, & non nunquam ad viliora prono nimis judicio seducta sensuum custodia ad sordidum corporis

I N A U G U R A L I S . §

poris servitium detinetur ; crescente deinde cum ætate , augetur simul corporis delicate habendi libido & pro variâ corporis dispositione , temperie , educatione , consortio & objectis , misera sua quemque trahit voluptas.

V I I .

Sic mens non nullorum hominum titillationibus , præcipue lingue nervis inductis , ita abripitur , & imperio suo privatur , ut corpus suum regat ipsum principem , dum gustui adeo inservit anima , ut se beatitudine frui autem , ubi titillationes istas in Linguæ nervis ab alimentorum aut absurdorum particulis animadvertis : quare ei totis viribus incumbit , ut illa acquirat , quæ gratâ titillatione nervos afficiunt.

V I I I .

Hisce præmissis , nihil amplius obstabit , quo minus debilioris animæ vehementes passiones in hoc morbo accusemus , præfertim cum PICA promiscue non omnibus hominibus , sed iis præcipue contingat , qui obsequuntur tanquam bestiæ cupiditatibus suis , & quibus mentis nullum est imperium in proprias cogitationes , quibus volupe & præcipuum exercitium est , dignoscere omnium saporum differentias , quæ accidunt nervis secundum variarum particularē magnitudines , motus , & figurās.

I X .

Hinc magis delicatus fœminarum sexus cuticulam præcipue curans , & palato studens , huic morbo præ viris obnoxius inventur : nam anima in hoc sexu non videtur (saltem in plurimis) sufficientem perfectionis gradum attigisse , ut possit deliciis resistere , sed facilius de throno suo detrudi patitur . Gravidis autem hoc non nunquam evenit , quia persuasum habent sibi tempore gestationis nihil non per lasciviam licere , se etiam tunc temporis totius Rei œconomicæ , & ipsius patrisfamilias caput esse : quarum insuper memoria semper obvervatur illud Tyranni : *Quod libet , licet.* Imo sunt non nullæ , quæ pulchrum esse ducunt , se posse excogitare alimenta comparatu difficiliora , ne dicamus impossibilia , maritosque sibi in omnibus debere obsequi . Interim hæc desiderata si ipsis denegentur , continuâ cogitatione eorum imagines altius imprimunt cerebro , eaque con-

6 D I S P U T A T I O M E D I C A

tinue menti offerunt, qua propter protinus in illa carum labuntur libidines, & ea sibi jungi, perdite desiderant. Quanta profecto præjudicij vis, quod mentem ratione minus utentem adeo excœcat, ut ne sapor quidem errorem detegere valeat! Virginibus quibusdam à consuetudine oritur, quæ ex *frumento crudo, arenâ, terrâ, cretâ, & similibus manducatis* purchitudinem sibi pollicentur.

X.

Sequitur porro, dum in cibis capiendis, nulla nutrimenti & sanitatis, at genii maxima habeatur ratio, ut ei litando, jacta jam fundamenta firmius stabiliantur, indifferenter enim, & avide, quicquid desideratum fuerit, ingurgitando, multa ventriculi aciei non satis solubilia, simul in sanguinem prorepunt. Quid mirum, quod sanguis crudiori hoc sicco prægnans, vix præter crassiorum spirituum decimas pendere possit, qui suo pondere & mole, dum cerebri nervorumque tubulos comprimunt & majori molimine perterebrant, hanc cupediis inhiandi voluntatis pertinaciam, non modo alere, sed & augere sunt aptissimi.

X I.

Attamen non negamus ista absurdâ sine natabili sanitatis damage per aliquot tempus posse assumi, cum sc. obstructiones inde ortæ fuit tantum intra partes non ita acuti sensus, neque publicæ alicui & notabili actioni destinatas. Secundò, si occurrant fermento satisforti, quod illa aptare valet sanguini, cuiusque fermentationes illis subigendis sufficietes sunt; ubi autem hæc aliter se habeant, quæ inde non oriuntur symptomata? dolores enim varii, oris expunctionis, anxietates, cardialgia, nausea, vomitus & similia: th. præcedente dicta. Casus insuper magis fūnesti ex aliorum observationibus peti possunt.

X I I.

Hæreditarius hic quoque potest esse affectus; quoties à matre gravidâ cum fœtu communicatur. Si igitur alicujus tam pertinaciter expetiti, compos facta fuerit mater, nascitur in illa lætitiae passio, cui mox respondet commotio infantis, ad quem cum quædam istius rei effluvia, per viscerum poros, vel crassiores particulæ ope sanguinis perveniant, connectitur illarum motus,

tus, quem in tenello corpore excitant, cum lœtâ istâ perceptione, quæ deinceps per totam vitam inseparabiliter se invicem co-mitantur, nisi *ars*, vel *deficiens memoria* illa disjunxerit: quo-tiescunque igitur postea id objectum occurrit, ut causa lœtitiae exoptatur.

X I I I.

Ex hoc fonte etiam deduci possunt stigmata rerum appetitum fœtui cum deformatione aut defædatione corporis impressa; ubi enim mater tempore gestationis ardenti appetitu circa obje-ctum aliquod versatur, notissimum est certa vestigia hujus idea certâ spirituum modificatione cerebro communicari: qui dum eam, per totum corpus fluentes, ac ad tenellum fœtum pervenien-tes, retinent; imaginem ejus illi membro fœtus imprimunt, cu-jus analogam partem proprii corporis tetigit mater, quo vehe-menti passione aut appétitus aut alicujus terroris agitabatur. Nam illâ radiatione spirituum animalium non solum repræsentabatur si-gura rei desideratæ, sed speciatim illius membra, quod fuit ma-nu matris tactum: unde quoque spiritus ad simile membrum in fœtu diriguntur, cujus membra fibras teneras suę modifica-tioni obsequi faciunt spiritus, easque ita disponunt, ut illæ po-stea adspicientibus desideratæ rei figuram aliquatenus repræsen-tent, & per vitæ discursum circumgerant.

X I V.

Deduçtâ huc usque causâ, effectuque hujus morbi, ad dia-gnosin est deveniendum, quæ ex ipsis querelis patientis innotes-cit; sed cum sëpe animum suę imbecillitatis pudeat, furtivis ejus consiliis detegitur; nullam enim sëpius animæ quietem PICA, nisi saturata, permittit.

X V.

Quantum ad *prognosin*, caret quidem hic affectus per se omni præsentaneo periculo, sed est chronicus curatuque difficilis, & si majori licentiâ foveatur, plurima, & jam citata mala corpori mi-natur. Ita èd periculosior, quo magis appetantur absurdæ; nam cum illa in chylum converti nequeant, fermentum plane obtun-dunt, cruditates, obstrunctiones cacoehymicas, hydropem, chlorosin, atrophiam pariunt, & sic cum tempore syrma innumerorum alio-rum

3. DISPUTATIO MEDICA

rum morborum præ foribus esse debet: item gravidis est periculosis, quia si ipsis denegetur quod cupiunt, metus est ut noxam inde sentiat foetus, & si concedatur, damnum patiatur sanitas. Potest præterea, si valide vehemens sit, abortui ansam præbere.

X V I.

Tota autem *Curatio* in eo consistit, ut mens sana reddatur corpori sano: idcirco animus mærore profligatus solidis rationibus est erigendus, & ad virtutis studia est excitandus, quandoque corripiendus, additâ seriâ severâque admonitione: indecorum esse homini, mentem particulâ divinæ auræ præditam suis subjecere affectibus, iisque servire. Gravidis ostendendum erit quam absurdum sit, & à mente alienum, quod ab ipsis desideratur; nec uon demonstrandum, quot mala inde exsurgere valeant & ipsi & foeti. Virgines autem formositatem amantes docere debemus, earum judicium esse falsissimum, imò deformatem jam simul cum statu funesto imminere. Quod commodius fieri potest ab illis, quibus reverentiam aliquam debent. Removenda simul sunt illa omnia, quorum desiderio tenentur, ut sic omnis de iis cogitandi occasio præripiatur.

X V I I.

Quatenus opem suam sic adfert sanguinis spiritus crassior, debet ille subtilior reddi per sales volatiles, veluti sal. armen. fulig. C. C. succin. sang. human. urin. ossium, crau. human. cornium, dentium &c. aut olea quævis st. calida & aromaticæ, ut ol. menth. rorismarin. majoran. thym. cort. aurant. limon. macis, origan, &c. aut quod dignitate & præstantiâ omnibus antecellit sal. volatile simul oleosum & aromaticum, ut sal volatile oleosum Cl. D. Sylv. nec non Celeberr. viri de Maëts, & D. D. Margraef, & le Mort trium in Academia Lugduno-Batavâ facultatis Chemicæ, quâ publicè, quâ privatum Doctorum; inter cætera hæc mixtura non inutilis erit:

rx. Aq. menth.

majoran.

rorismarin. aa. 3ij.

vitæ Mathiol. aut carminativ.

Dom. Sylv.

Cina-

I N A U G U R A L I S. 9

Cinamom. aa. ʒij.

Salis cujuscunque volat. oleos. ʒij.

Antimon. diaph. ʒij.

Ol. macis vel nucis moschat. st. gt. ix.

Syr. menth. vel majoran. ʒij.

M.

Decocta etiam multo oleo, & sale volatili gaudentia in hunc similemve modum praescribi possunt:

℞. Rasur. lign. guajac.

cort. ejusdem

fassafr. aa. ʒiſ.

Rad. angelic. chin. Zalsaparil. aa. ʒij.

liquirit. ʒiſ.

Herb. majoran. rorismarin. menth. crisp. aa. mſ.

Fl. lavendul. aurant. limon. aa. Pj.

Sem. card. min. anis aa. ʒiſ.

Baccar. laur. inniper. aa. ʒij.

Fiat infusio calida per horas decem, vel duodecim, in vino Gallico generoso, coquantur more chemico & postea in MB. ex cucurbita alembico suo munita destillentur:

℞. Colatur lb. v.

add.

Sal. volat. oleos. ʒij.

absinth. ʒiſ.

Aq. carminativ. Dom. Sylv. ʒiſ.

Syr. majoran. ʒij.

M. F. Apozema.

X V I I I.

Si collecta aliqua in ventriculo saburra, quæ debitam medicamentorum distributionem impedit, prius apta, vomitu expelli poterit, e.g.

℞. Tart. Emet. Mysicht. gr. iijs.

Sach. perl. ʒiſ.

M. F. pulvis subtiliss.

℞. Mercur. vitæ gr. iij.

vel ℞. Vitr. Antimon. gr. iiiij.

B

aut

DISPUTATIO MEDICA INAUGUR.

aut \AA . Croc. metall. gr. iv.

Detur usui in cochl. vin. aut

aq. cinamom.

Gravidis autem hæcce non sunt propinanda, ne abortus oriatur.

X I X.

Ventriculus denique corroborandus & quidem hoc modo:

\AA . Herb. absinth. roman.

Nucis moschat. aa. 3ij.

Menth. puleg. aa. 3ij.

Spic. indic. 3j.

Spec. Hier. simpl. 3j.

Elix. propriet. Parac. 3ij.

Syr. menthae. q. s.

M. F. conditum.

vel \AA . Aq. vit. Mathiol. 3iiij.

Sp. salis armon. 3j.

Elix. propriet. Parac. 3ij.

Ol. macis gt. vj.

M.

X X.

Detrahat interim continuò æger pro viribus cogitationes ab illis absurdis, que antea ipsi placuere; quod (neglecto ventris studio) mediantibus honestis exercitiis fiet. Plura hic proferre temporis brevitas, pagellarumque paucitas vetant, sed vela contrahens, Deoque pro concessis viribus gratias agens huic disputationi impono

F I N E M.

COROLLARIA.

I.

Appetitus oritur ex consuetudine.

II.

Spiritus animales crassi & acres transentes tabulos cerebri, ejus fibrillas lancinando excitant tristitiam, qua diciunt sine manifesta causa, quia Anima accurate locum determinare nequit.

III.

Probabile est hominem nasci ex animali vivo latente in semine virili.

IV.

Tempus partus est incertum.

V.

Reprehendendus itaque tum Ulpianus, qui post decimum mensem editum, nulluna ad legitimam hereditatem admisit, tum alii, qui, si forte contingat sexto mense nasci infantem, oppugnant pudicitiam honestarum virginum & viduarum, renunciant ius reputum, quas firmiter credunt, ante primum mariti congressum ex alio concepisse.

VI.

Filius potest nasci illæsa virginitate maternâ.

VII.

Rarissime est puerpera, que infantem lactare nequeat.

VIII.

Conscientiam ergo gravant, que absque gravi causâ infantes nutricibus lascivis, sape numero meretricibus tradunt, cum latte enim mores nutricum hauriunt.

IX.

Camphora non extinguit venerem.

X.

Chyromantia nihil certi prædicit.

XI.

Gingive sanguineæ non semper sunt scorbuti signum.

XII.

Omnes morbi sunt curabiles.

F I N I S.

00817003

Ad Nobiliss. Dn. Candid.

D. D. HENRICUM BETTEN,

Cum Pro Gradu Doctoratus, summisque Honoribus & Privilegiis rite consequendis, specimen exhiberet publicum.



T qui transiluit præpropero pede
Saltus, aut vigili mente reconditas
Artis prendere tentavit amabilis
Voces multiplices; dicere postea
Explorata studet devia nescio:
Quem cælat tamen artis celebres locos,
Ut præstet reliquis optimus artifex.
Sic author medicus, quem referunt Deum,
Cui rerum patet ordo ac series gravis,
Morbos haud reseravit penitus suis
Omnes, quos manus expelleret optima,
Ne mens plura sibi consecret effera.
At tu numine Divum satus, explicas
Quod pauci poterunt, nempe Diis modò
(Res est mira) Melaciæ expositas probè
Causas, quoque modo hanc arceat artifex.
Quid mirum protinus quod tibi Pæonum
Adsit lœta cohors, Doctorem quod beet,
Ardens cingere Lauris Doctum caput.

A L I U D.

*S*I Medico tanta est facundia, quanta Poëta,
Hand dubie effectus gignet uterque pares.
Aris Paonia est, & carminis author Apollo,
Justè munificum, quis neget esse Deum?
At Vates potuit saltus de sede mouere,
Vim similem in Picam Candide BETTEN habes.

Conterraneo & Amico suo intimo cecinit
E. EVERS. S.S. Th. Stud.